

INDICULUS
ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM

ARTICULUS PRIMUS. Suscepti Consilii Causse aperiantur.

ARTICULUS II. Primum intentate mihi querela Caput repellitur.

ARTICULUS III. Secundum querela Caput refutatur.

ARTICULUS IV. Tertium illudque precipuum intentate in me querela Caput, fuisse lateque retunditur.

§. I. Quid Joannes de Turrecremata.

§. II. Quid Sylvester Prieras.

§. III. Quid Joannes Driedo.

§. IV. Quid Rodolphus Cuperus.

§. V. Quid Cardinalis Stanislaus Hofius.

§. VI. Quid Alphonfus de Castro.

§. VII. Quid Andreas Durvallius.

§. VIII. Quid Dominicus Gravina.

ARTICULUS V. Notum, intentate in me querela momentum refutatur: Quod iudicium Pontificium ex Cathedra ferri debeat, ut Infallibile censetur.

§. I. Quid Christianus Lupus.

§. II. Quid Cellotius, quid Bagotius, quid Combesius, quid Cherubinus Romanus.

ARTICULUS VI. Disctis additur Corollarium.

falsique Sententia nostra de Pontificia Infalibilitate iustis terminis circumscripta, Interpretes castigantur ac reselluntur.

ARTICULUS VII. Diluuntur objecta novissimi Privilegiorum Pontificiorum Vindicis.

§. I. Objectio prima diluitur.

§. II. Secunda objectio diluitur.

§. III. Tertia objectio diluitur.

§. IV. Quarta objectio diluitur.

§. V. Quinta objectio diluitur.

ARTICULUS VIII. Satisfit momenti mihi modo objectis a Lucino, in Supplemento Secunde Editioni adjuncto.

§. I. Satisfit primo momento.

§. II. Satisfit secundo momento.

§. III. Satisfit tertio momento.

§. IV. Satisfit quarto momento.

§. V. Satisfit aliis momentis.

ARTICULUS IX. Alia privilegiorum Pontificiorum Vindicis querela depellitur, de Infalibilitate Pontificis, in factis dogmaticis iudicandis.

ARTICULUS ULTIMUS. Quorundam Sciolorum obmirruaciones repelluntur.



INFALLIBILITATIS
PONTIFICIÆ

Iustis terminis circumscriptæ fusior explicatio, firmiorque defensio.

DISSERTATIO

A POLOGETICA

SECUNDIS CURIS ADORNATA.

ARTICULUS I.

Suscepti Consilii causse aperiantur.



IX lucem apererat vulgata superiori anno, gemina mea de Romano Pontifice falli & fallere nescio. Differentio, cum statim invidiam mihi constarunt Aristarchi nonnulli, mihiq; fidenter exprobrarunt, quod Pontificiam Infalibilitatem, dum propugnare atque tueri visus eram, re ipsa impugnarem, atque ab imo suffodissem. Cur ita vero? nempe, aiebant illi, quia capite statim primo, quaestionis agitandæ statum aperiens ita præfatus eram: Illud maxime queritur, num Pontifex sententiam aliquam in materia morum & fidei, ex Cathedra seu ex tribunali, solenni ritu pronuncians, servatisque debitis iuris formulis, hoc est, suis primum ad veritatis Spiritum advocandum solemnibus precibus, præmissis serio rei totius examine, præhabita consultatione Ecclesie sue Romanæ, ultra Urbis ambitum constituat, seu ut presens habet usus, adhibitis ad consultationem E. E. Cardinalibus, qui Romanum bodie Clerum constituunt; utrum inquam vel sic possit Pontifex in errorem dogmatis prolabi, falsumque iudicio statuere definire atque discernere, dum Ecclesiam universam edita Constitutione docet instruit & informat. Quo dato prologo, Pontificem tunc tantum indeficientiæ privilegio potiri, tota passim Dissertatione docueram, dum Is præmissa Ecclesie Romanæ peritorum, Sapientum, ac maxime Cardinalium, Matricis hujus Ecclesie Clerum constituentium consultatione, habitoque consensu, in materia morum & fidei, ex Sacro Tribunali pronunciat.

Id scilicet grande scelus æmulis Aristarchis visum est, ac tantum non horrenda blasphemiam: unde consequens esse volvere, ut Infalibilitatem a suis Consiliariis & Consultoribus haberet Pontifex; imo ut in ipsa potius Ecclesia Romana, a Pontifice se juncta, resideret Infalibilitas, quam in ipso Pontifice summo.

Hæc dum illi aduersum me, partim clamularia mustratione blaterarent, partim scriptis ad fœderatos suos Epistolis audacter ac libere spargerent; illatum nomini meo vulnus obscure tuli atque dissimulavi: distertia illorum omnia, con-

vicia, maledicta, surda aure sustinui: factusque sum, ut loquitur Regius Vates, Sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, quibus atrocem calumniam retunderem atque depellerem.

II. Verum quia insultat mihi modo, ac multo acrius, & scripto etiam publice dato, Romani Pontificis Privilegiorum novissimus Vindex; qui cum Pontificiæ dignitatis Ofores oppugnare aggrediar, me ipsum illorum numero censer, hæc una de causa, quod Pontificiam Infalibilitatem, quam susceperam vindicandam, iniquis, ut ait, limitibus circumscriperim, certisque conditionibus illigari, quibus potius Infalibilitas illa tota præfocatur atque extinguatur: eaque ipsa in Opusculo meo, de Romano Pontifice falli & fallere nescio, cavillatur & rodit, quæ primi illi Aristarchi superiori anno cavillati erant, & arroferant: iccirco silentium abruptere cogor, ne famam ipse meam, nomenque meum negligere videar.

Quamquam autem qui eam mihi modo calumniam, suppresso primum Scriptiõni suæ nomine, rursus affricat, ex eorum numero sit, contra quos scribere, periculose aleæ plenum opus est, quia proferbere possunt: quominus tamea de bono nomine, iuxta Dei præceptum curam habeam, nullus me subeundæ etiam proscriptiõnis pœnæ metus deterrebit: aleam faciam intrepidus, omnique timore vacuus, cum famæ meæ depresso, quisquis tandem ille sit, fidenti animo congreddiar.

III. Abstinet tamen ut extra iustæ defensionis metas velim excurrere, novissimumque illum Romani Pontificis privilegiorum Vindicem talione mordere; cuius potius Scriptiõni summam, institutamque probo quam maxime, susceptamque ab eo causam suscepi prior ego, ac pro virili, edito ejusdem Argumenti Opusculo, peroravi. Non sum ita alienæ famæ invidus, ut si quam ille, in vindicandis Romani Pontificis privilegii collegit gloriam, (quamquam oblique me læserit) imminuere velim atque deterrere: imo plaudo & plaudentibus accino; illudque Pauli ad Philippenses I. imitari gestio: dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Non itaque nascute inquiram, num Defensionem declarationis de potestate Ecclesiastica a Clero Gallicano Sancite, quam resellendam suscepi, sat bene dispuxerit? Num momenta doctissimi defensoris omnia, ex Historia Ecclesiastica, ex Patribus, ex Conciliis delibera plene retulerit?

Num multa dissimulari, & intacta reliquerit? De quo metos conueni video. Num celeberrimum *Bosuetum* Meldensium Episcopum Defensionis hujus Auctorem esse, sincere negarit? (quod ipsis etiam Stoicis rursus pepercit.) (a) Annon postea ad honestam exculpationem, finerit pro arbitrio, temereque iactarit: quasi cum tanto Viro, pro Sedis Apostolica defensione conueni pudor esset? Imo nec illud inquiram, quod mea referre videri posset, num meum etiam Librum expilari extirpauerit, magneque ex parte in suum conuolarit, atque transfuderit? Quod ab omnibus utrumque librum mutuo conferentibus est observatum. Sed his omnibus longe missis, & Criticorum curiosorumque inquisitioni relicta, extra suscepta defensionis meae terminos non excurram: nouumque Privilegiorum vindicem, caterisque qui ei in inferenda mihi calumnia praesulerant, Aristarchos, non tam aggrediar hostiliter, quam amice conueniam, cum bona venia bonaque pace disputaturus, ex celebriorum Infalibilitatis Pontificiae defensorum, curaque Romanae additorum auctoritate; num eam ego, quam propugnantiam susceperam, infidelitatem Pontificiam ab imo suffoderim extirperim praecoriam; quia ita ut supra retuli, Dissertationi meae praesuli; datoque prologo, Pontificem tunc tantum Indeficientiae privilegio potiri docui, dum is praemissa Ecclesiae Romanae peritorum Sapientum, ac maxime Cardinalium, matricis hujus Ecclesiae Clerum constituentium Consultatione, habitoque consensu, in materia morum & fidei, ex Sacro Tribunali pronunciat. Haec mihi modo una mens est, consilium unum.

ARTICULUS II.

Primum intentata mihi querela caput repellitur.

ET quidem, (ut de primo intentata mihi querela Capite dicam primum) in id consentiunt probati quique ac Romae etiam acceptissimi Pontificiae infalibilitatis defensores, Doctores, atque Magistri, debere omnino Pontifices summos, viros doctos atque peritos, illosque non paucos ante consulere, quam iudicium ex Cathedra proferant, si a Deo optimo maximo Indeficientiae privilegium accipere velint, in aliqua fidei controversia dirimenda. Sic enim magno numero statuunt illi, apud *Melchiorum Cano*, eorum hac ipsa de re sententiam referentem, lib. 5. de locis Theologicis Cap. 5. Quando dicitur Apostolicam Sedem errare in fide non posse, Sedis Apostolicae uocem non solum summum Pontificem sonat, sed ipsum ut facit ea quae ad Cathedram spectant; hoc est, quatenus non ex suo, sed EX CONSILIO bonorum uirorum & doctorum procedit. Ita Sedis Apostolicae iudicia intelliguntur, non qua occulto, malitiose, inconsulte per solum Romanum Episcopum, aut etiam cum paucis sibi fauentibus proferuntur; sed quae ab eo EX CONSILIO plurimorum uirorum sapientum, re prius examinata procedunt. Quid amabo disertius, ad illorum obstruenda ora, qui Pontificiam Infalibilitatem a nobis praefocant extirpantque debiterant; dum peritorum sapientumque consultationem a Pontificibus adhibendam docuimus, ut Infalibilitatis privilegio perfruatur? Sed & ipsemet *Melchior Cano* suam de hac ipsa

(a) Defensionem hanc a Clarissimo *Bosueto*, dum de Jure Regaliae Controversia feruere, elucubraram, norunt Galli omnes: eandem compositis subinde rebus, sub Innocentio XII. ineditam in Regio tabulario fuisse seruatam. Hanc illius Nepos Trecentium Episcopus, ex domesticis serinis erant typis edendam curauit. Sed & ipsa se prodit, suumque stilus ejus spirat Auctorem: ut plane ridendum se praebat, qui negare uoluerit, aut etiam in dubium uertere.

Romanorum Pontificum Indeficientiam sententiam Paulo ante declarat eodem in Capite, ubi Diuinarum, seu ut loquuntur Canonico-rum Scripturarum, a Romanis Pontificibus, fidei controversias iudicantibus discrimen assignat. *Scriptores Sacri*, ait ille, ex proxima Dei uel reuelatione uel inspiratione scribunt Catholica dogmata: nec enim egent externis ad scribendum incitamentis, aut humana rationatione ex Scripturis suis argumentantur disquirunt colligunt. At Pontifex humana uia incedit, rationisque sequitur, atque argumentando uerum a falso discernit. Non enim existimandus est summus Pontifex eam habere facultatem, quae in Apostolis per Prophetas & Evangelistas inerat, ut praeserta de fide quacumque quaestione protinus dignoscere possit, uera quaestioni pars uera salutare sit: sed adhibere PRIUS CONSILIIUM necesse est, & expendere utriusque partis argumenta. Tum denique sequitur auxilium Dei, quod uidelicet opus est, ut summus Pontifex in recta fide contineatur. Non ergo nisi praemissa consultatione, adhibitoque prius consilio, Pontifex infalibilis est, iudicio *Melchioris Cano*, Quia tamen eo in scripto nodos quaerit Priuilegiorum Pontificiorum nouissimus uindex *Aloysius Lucinus*, in addito secunda Editioni supplemento; de hoc ipso Excellentissimi Theologi pronuntiato sermo redibit, ut importum cavillatoris nodi dissoluantur.

II. Suffragatur *Syluester Prieras*, Sacri Palatii Apostolici Magister in Summa, uerbo Concilium, ita scribens: sicut Ecclesia non errat perseveranter, ita nec Papa, quando est caput Ecclesiae, id est UTENS ADIUTORIO MEMBRORUM ECCLESIAE PER CONSILIA & orationes, huiusmodi. Si porro tunc tantum errori non est obnoxius Romanus Pontifex, dum iudicat uti Caput Ecclesiae, & tunc tantum iudicat uti Caput Ecclesiae, dum utitur auxilio membrorum illius per consilia; consequens profecto est, ut illi necessaria omnino sit membrorum Ecclesiae consultatio, si uelit infalibilitate iudicare.

Succinit *Joannes Vignierus* in Institutionibus Theologicis, ubi de potestate Romani Pontificis, ad condendam fidei symbolum tractat. Summus Pontifex, inquit, ut persona privata errare potest, non tamen ut est summus Pontifex. Id est, si ut persona privata symbolum edere tentaret, non esset symbolum, maxime ubi a uera fide derivaret. Si autem procedat & pronunciet ut summus Pontifex, quando scilicet obseruat ritum in Conciliis Apostolorum, & Sanctorum Patrum designationibus obseruari solitum, ut pura quando uocat consilia Episcoporum, & instat instatque facit orationibus, & inuocat Spiritum Sanctum, cuius assistentia Ecclesiae promissa est, imo ipsemet talibus Congregationibus adfuturum se pollicetur est, non patitur ipsum errare. Romanum itaque Pontificem tunc tantum infalibilem, & condendi Symboli capacem existimat *Joannes Vignierus*, dum iis seruat solennitatibus ad iudicandum accedit.

Et Clarissimi Theologi testimonio pressus Pontificiorum Privilegiorum uindex *Lucinus*, aduersus eum paginare mauit in Supplemento, quam sibi aliqua molli interpretatione conciliare. Quare diuina Augustinum Vignero contrarium in-clamat, propterea quod lib. 4. ad Bonifacium Cap. 12. scribat, rarissimum inuentas esse haereses, propter quas damnandas, Synodi congregatio necessa-ria

via fuerit. At non aduertit feruidus actor non repugnare iis in uerbis Vignero Augustinum. Populares enim, seu priuatas Synodos, Praesumptive conuentus ad consultationem ut ut minimum aduocandos Vignero docet; ut Romanus Pontifex rite solenniterque processisse ac pronun-ciasset censetur: generales uero totiusque orbis Synodos, ad haereticum damnationem, minime necessarias iudicat Augustinus; quales scilicet Pelagiani postulabant. Quae uero hic est contradictio, quae repugnantia? Lege *Cassaburii* dissertationem de Synodis popularibus.

III. His paria habet *Dominicus a S. Thoma*, alter Indeficientiae Pontificiae defensor acerrimus; Controverfia 237. de Ecclesia Christi & Papa, Sectione 18. ubi cum sibi obieisset, Papam gubernare & regere Ecclesiam ex speciali directione Dei, & assistentia Spiritus Sancti, atque adeo non egere consilio & consultatione Cardinalium, neque aliorum: Obiectioni satisfacit in hunc modum: Respondeo quod Papa habet assistentem Spiritum Sanctum: hoc tamen non habet per immediatam & manifestam reuelationem: sed illi reuelat ueritatem, medijs Sacris Scripturis, & PRUDENTIBUS CONSULTATIONIBUS, orationibus, ac studijs sacrarum litterarum; quibus praesuppositis, Papa a Spiritu Sancto illuminatur, ut nullum committat errorem in regimine Ecclesiae. Quid disertius?

Neque obest, quod Romanos Pontifices, ex rigore & necessitate non teneri, subiungat Theologus ille, ad Cardinales consulendos; quando fuit ipsi doctissimi, debitasque ad iudicandum diligencias, per se solos absque consilio praestare possunt. Quia enim illi raro contingit, imo rarissime, statim conculsa regula generalis, Non habere Pontifex Spiritum Sanctum per immediatam reuelationem sibi assistentem; sed medijs prudentibus consultationibus.

Quid plura? Ipsemet Cardinalis *Bellarminus*, qui Romanorum Pontificum infalibilitatem, caeteris illius defensoribus altius effert, Tractu de summo Pontifice lib. 4. Cap. 2. relatis magno numero praecipuis Indeficientiae Pontificiae defensoribus, subiungit, eos tamen in minutulis dissidentibus inter se se, in hac tamen doctrinae summa conuenire: Quod Romanus Pontifex nullo modo errare potest, SI MATURE PROCEDAT. Et quod debet facere quod in se est CONSULENDO VIROS DOCTOS ET PERITOS REI DE QUA AGITUR. Id ergo certum indubitatumque, ex mente praecipuorum Indeficientiae Pontificiae defensorum, debere summos Pontifices, viros sapientes & doctos ante consulere, si uelint a Deo infalibilitatis gratiam obtinere, ubi ferendum est de fide moribusque iudicium.

Iccirco Cardinalis *Albitius* Tractu 1. de Inconstancia in fide Cap. 3. ubi Summi Pontificis Infalibilitatem tota uirium contentione defendit, fusc lateque probandum aggreditur, diligens controversiae definienda examen, DEBITAMQUE PERITORUM CONSULTATIONEM media esse necessaria ad infalibile iudicium proferendum: quae nisi Pontifex adhiberet, inconsultate ac temere ad res de fide definiendas accederet. Ecquis autem sibi fingat, Deum infalibilitatis gratiam, Pontifici inconsultate & temere iudicanti collaturum?

Neque obest, quod & *Albitius* & *Bellarminus*, subiectis subinde uerbis aperte significant, Romanos Pontifices facere semper quod in ipsis est, debitam peritorum consultationem adhibendo. Id enim ut summe probat, eos semper esse infalibiles: quod non inficior; eo tamen semper po-

sito consultationis medio; quod ad iudicii Pontificii infalibilitatem necessarium esse contendo.

Et certe tunc tantum Romanus Pontifex, infalibilis iudicii privilegio gaudere confendus est, dum debitam iudicii Ecclesiastici formam seruat. Hanc autem formam in Consultatione, in Consilio ponunt Theologi plerique, Canonumque periti. Non est igitur infalibilis Romani Pontificis in causa fidei quaecumque iudicium, nisi praemisso maturo examine, habitaque peritorum Consultatione feratur. Imo nec iudicium Ecclesiasticum, ex supremo Ecclesiae Tribuali latum, estimandum est, si iis neglectis formulis proferatur.

IV. Quamquam quid iuvat, in re comperitissima demostranda, Theologorum & Canonistarum suffragia diligentius inquirere? Annon quaso monstrum simillimum esset, Pontificem E. G. rerum Theologicarum plane rudem, (quales possunt esse aliqui) reconditoria fidei capita infalibili iudicio definire se solo, nullo habito peritorum consilio, quatuorque iudicio? Quasi uero Pontifices summi, non secus ac Scriptores Canonici, Prophetae nimirum Apostoli & Evangelistae, intimum Spiritus Sancti afflatum recipiant, quodcumque libuerit, etsi nullam ad ueritatis Spiritum aduocandum, diligentiam adhibeant? Sit certe non solum mente, sed & sensu capus oportet, qui id uoluerit. Quid, quod nec id quidem privilegii summis Prophetis a Deo concessum est, ut quamquam inconsultate ac temere, quaerentibus & interrogantibus responderent, uerum nihilominus infalibiliter responderent; sed contra potius errarent tunc ac fallerentur. Cujus rei fatale exemplum habemus in *Nathan* Propheta lib. 2. Regum Cap. 7. falsum quaerenti & interroganti *Dauidi* prophetante; quod subinde a Deo iustus est reuocare: quia *Dauidi* inconsultate responderat, de Templo ab ipsemet aedificando.

ARTICULUS III.

Secundum querela Caput resutatur.

IAm uero (quod alterum intentata in me querela caput est) eos inter, quos debent Pontifices summi Consultatores adhibere, loco primo censendos esse D. D. Cardinales, qui Romanum hodie Clerum constituunt, per se arbitror manifestum, postquam iam principii consecrarium per se fluens. Cum enim sint illi Coadiutores & Collaterales Papae uniuersum orbem cum illo iudicantes, ut loquitur *D. Bernardus* lib. 4. de Consideratione Cap. 4. Cum sint illi Consiliarii Pontificis, & conuocatores orbis terrarum, ut habet *Pius II.* Oratione ad Cardinales habita: cum sint illi ex quorum consilio & assensu Pontifex regit, & gubernat uniuersam Ecclesiam, ut loquitur Cardinalis *Joannes* de Turresremana lib. 1. de Ecclesia Cap. 80. Quis non uideat, esse illos praeter ceteris in consilium adhibendos, si qui sunt, (ut citati ante doctores statuunt) Consiliarii a summis Pontificibus adhibendi; ubi cum Indeficientiae privilegio, ferendum est de fide moribusque iudicium?

Hinc est illa uetus formula professionis fidei Romanorum Pontificum, quae legitur in Collectione Canonum Cardinalis *Deusdedit*, & in Libro diurno Bibliothecae Vaticanae: si qua emergerint contra canonicam disciplinam, ego cum filiorum meorum S. R. E. Cardinalium consilio, directione & rememoratione, ministerium meum geram, & emendare curabo. Quae quidem formula latius etiam extensa a *Bonifacio VIII.* in eadem Bibliotheca

Vaticana reperitur. Quin etiam hoc ipsum institutum, res cum Cardinalibus communicandi, ab omnibus Pontificibus continuatum fuisse docet Liber Cereimonialis, sive Rituum Ecclesiasticorum Sanctae Romanae Ecclesiae: in quo scriptum est, Cardinalium Collegium divina inspiratione institutum fuisse, cum quo Pontifex omnia ardua Ecclesiae negotia tractaret, & quos Consiliarios Romanae Ecclesiae Coadiutoresque haberet. Qua de re legendus venit Cardinalis Gabriel Paleotus, de Sacri Consisilii Consultationibus part. 1. quaest. 3. art. 6. Ut vel hinc pateat, quam temere Cardinalium dignitatem decesserit, eorumque titulos extenuarit, Lucinus, qui pag. 10. Supplementi sic scripsit: Si Cardinales conuocantes ordines nominantur, ideo est, quia a Papa pluribus praesentantur tribunalibus Iudices causarum, ad Romanos Pontifices delatarum; non autem quia simul cum Papa intelliguntur controversias definire.

II. Certe Cardinalium Consultationem, ad summa & ardua Ecclesiae negotia expedienda, Pontificibus necessariam noverant, palamque professi sunt Cardinales ipsi, numero viginquatuor: qui anno 1727. (cum sparsus undique rumor ferret, Benedictum XIII. graves de Disciplina Ecclesiastica Controversias supremo iudicio, inconsulto Sacro Collegio, desinisse) Libellum ab omnibus rite subscriptum obtulerunt, quo Sanctitati suae, summo doloris sensu significabant, Cardinales, vel hoc ipso titulo quod nati sunt summi Pontificis Consiliarii, in consultationem vocari omnino debuisse, eorumque suffragia postulari iure summo, antequam ad iudicium accederet. Essendo i Cardinali, aiebant illi, Consigliari nati del sommo Pontefice, deuoio con ogni ragione esser chiamati a dire il loro sentimento, nel affari piu gravi della Santa Sede. Quin hanc ipsam Consultationem, in arduis negotiis expediendis, Romanis Pontificibus necessariam frequentius doceat Iurium legumque periti, ad Caput per venerabilem, qui filii sint legitimi. Imo addunt eorum aliqui, Cardinales esse quasi in possessione, quod ipsorum consensus in huiusmodi requiratur: ea maxime ratione, quod ea negotia uniuersitatis sint, atque ita in his expediendis, Consensus maioris partis procerum requiratur. Qua de re legendi sunt Abbas Panormitanus in Caput literarum Num. 13. de Rel. Spol. & in Caput per venerabilem, qui filii sint legitimi Num. 19. & 20. Et Zabarella Conf. 134. Num. 6. & 7. Jam vero quis nesciat, Controversias de fide, quibusvis de disciplina Ecclesiastica controversiis longe esse grauioribus? Quis nesciat inter ardua Ecclesiae negotia, ea primum habere locum, in quibus de sancienda fide tractatur? Cardinaliam itaque Consultationem atque assensum multo magis egerit, ut a summis Pontificibus expediantur, maxime vero ut infallibili iudicio finiantur.

III. Viderit itaque nouissimus Supplementi farcinator Lucinus, fatuae circumspecte prudenter que notari pag. 9. praesentem illum Romanorum Pontificum morem, Clerum suum, seu Cardinales Eminentissimos in arduis consulendi, ex praesca Ecclesiae disciplina non esse; dum ita in nos magistrali auctoritate animadverit: Videntes, Romanos Pontifices postremos, in arduis uti consilio & operantissimum Cardinalium, peritorumque studio, oblitum sunt praesca antiquitatis, in qua aliter se res habuerunt. Viderit inquam Lucinus, an qui nobis praesca antiquitatis oblivione exprobat profunda ipsemet illius ignorantia laboret. Constat enim vero, iam a secundo ac tertio Christiani nominis saeculo, extitisse Romanae Praesbyterium seu Praesbyterorum Ecclesiae Romanae Conuentum atque

Confessum, sine quorum Consilio & assensu, nil statuere, nil definire solebat Romanus Episcopus. De quo quidem Praesbyterio a se coacto atque collecto, ad lapsum causam, quae tunc agebatur, iudicandam, ita ad S. Cyprianum scribebat S. Cornelius Romanus Episcopus, (Epistola nunc inter Cyprianicas 46.) Omnia igitur acta ad nos perlatu, placuit contrahi Praesbyterium: adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie praesentes fuerunt: ut firmato consilio, quid circa personam eorum observari deberet, CONSENSU omnium statueretur. Et ut motum omnium & singulorum CONSILIUM dignoscere, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestram proferri, quas & subiectas leges. De hoc pariter Praesbyterio, a se in consultationem adhibito, ad ferendam sententiam scribit Stricensis Papa, Epist. 2. ad diversos Episcopos: Facta Praesbyterio consilio, Ioviniani doctrinam legi debet esse contrariam. Unde omnium nolem, tam Praesbyterorum & Diaconorum, quam totius etiam Cleri una fuit lata sententia. De hoc etiam Praesbyterio, Innocentius I. Epistola ad Episcopos in Synodo Toletana conscriptus scribit, Hilarium & Elpidium in consilio Praesbyterii fuisse auditos. Quin & hoc ipsum Praesbyterium, florentissimum Clericum Romano Pontifice PRÆSIDENTEM appellat S. Cyprianus Epist. 55. sub fine.

Quid ad haec Supplementi confarinator, qui praescos Romae Pontifices, Clerum suum in arduis definiendis, consulere minime solitos, confidentissime dicit; nobisque antiqui moris oblivione exprobat? dum ipsemet illius supina ignorantia laborat?

Ceterum hinc antiquo Ecclesiae Romanae Praesbyterio, Cardinalium Senatui successisse, illiusque vires ac partes ex officio obire, quis negat? Immo quis Sacrum Cardinalium Collegium, Romanum aevi nostri Praesbyterium esse inficietur? ex cuius iure consilio & assensu, iudicia Pontificum ferri debeant, quoties more Majorum, rite canonice solemniter proferuntur?

ARTICULUS IV.

Tertium, illudque praecipuum intentate in me quaerere Caput fusa latque retunditur.

IN hoc ad tertium, illudque potissimum intentate in me quaerere caput accedo: quod nimirum praesca toto Dissertationis meae decursu significarim, eam peritorum atque Sapientum Consultationem, ac maxime Cardinalium, qui Romanum hodie Clerum constituunt, necessario esse a Pontificibus praemitendam, ut indeficientia privilegio, in ferendis de fide moribusque iudiciis perfruatur: eamque praeviam Consultationem, non qualemcumque esse debere, sed Consensionis, adhaesionis, approbationis, atque consensus. Quam ego quaerelam ex parte iam occupatam, nullo negotio depello, nihilque temere intentatam ostendo. Quamquam enim in hanc meam sententiam non conspiciunt uniuersi Infallibilitatis Pontificiae Defensores; quos inter multos esse novi, qui eam peritorum atque Sapientum, seu Cardinalium Consultationem honestam & congruentem dumtaxat existimant, ut prudenter iudicet Pontifex; non tamen necessarium, ut definit Infallibiliter: petendumque consilium, non tamen obtinendum necessarium eorumdem assensum opinantur: Extant tamen bene multi immo & numero plures, & ique prima nota, Pontificiae indeficientiae Defensores accerrimi, Curiaque Romanae acceptissimi gratissimique; qui consultationem necessariam omnia do-

docent, & Consultorum maxime vero Cardinalium assensum, sin minus omnium, at saltem plurimum necessarium arbitrantur, ut iudicium ex formula, & ex tribunali latum censeatur, cum Infallibilitate privilegio.

Ex qua profecto illustrium Theologorum sententia compertum est, falli quam maxime novissimum Pontificiorum Privilegiorum defensore; qui assensum quorumcumque Consultorum, ac etiam D. D. Cardinalium, iudicis Pontificis datum, non nisi Consultorum esse, ac minime iudicalem; nihilque ad Infallibilitatem iudicii Pontifici conferre, ait; immo consensum omnem non nisi merae obedientiae dicendum esse. Quomodo enim per fidem numinum! merae obedientiae assensus esset, si datur antequam iudicium proferat Pontifex, immo ut rite & canonice iudicium proferatur? Aut quomodo consilium dumtaxat assensus est, & minime iudiciale, nihilque ad iudicii Pontifici Infallibilitatem conferre; si medium necessarium est, ut Infallibilitatis gratia conferatur? Immo si Cardinales ipsi in Consilio adhibiti, cum ipso Pontifice iudicare dicuntur, suntque ipsi Consilium & assensum?

Audiamus itaque Theologos illos, Pontificiae Infallibilitatis defensores accerrimos, Romaeque gratissimos; videamusque annon ipsi hoc idem quod ego, discretissime aperitissimeque docuerint. Nihilque nobis cura sit datum a Supplementi confarinate monitum p. 3. Ut ab eorum Theologorum illis excutiendis abstinemus. Quia ex quo Christus paucis Petro dicit, tu Petro pasce oves meas, tu Petro confirma fratres tuos; quidquid post mille & quadringentos annos, addunt demum de doctores, etsi aliunde celebres, vel expulsi ut additamentum necessarium simpliciter, ad Infallibilitatem Papae, prorsus ad deformandam inventum est, vera falsis immisendo. Monitum imprudentissimum rideamus. Videamusque, quem iis Christi Domini verbis sensum dederint Theologi praesantissimi, & qualem D. Petro ejusque successoribus, datam a Christo infallibilitatem intellexerint.

§. I.

Quid Joannes de Turrecremata.

I. Eo in ordine princeps mihi est Joannes de Turrecremata S. R. E. Cardinalis, in tuendis Romanum Pontificum iuribus, eorumque Infallibilitate propugnanda nulli secundus, lib. 2. de Potestate Papali Cap. 112. in quo satisfacit objectionibus, contra Infallibilitatem iudicii Pontifici fieri solitis. Sententia, inquit ille, in iudicio prolata a Romano Pontifice intelligitur, non qua occulte malitiose aut inconsulte, per solum Romanum Pontificem, aut etiam qua per ipsum cum paucis sibi faucentibus, aliis in fraudem contemptis, sive non vocatis, ad partem proferatur; Sed qua a Romano Pontifice, qui MATURO ET GRAVI VIRO RUM SAPIENTUM, ET MAXIME D. D. CARDINALIUM CONSILIO PRIMO DIGESTA, ATQUE MATURATA SANCITUR ET PROFERTUR. Nam ut ait Albertus Magnus in questione de iustitia & legibus, habentibus auctoritatem, secundam consulta Sapientum est determinare & interpretari, vel exponere. Et quod ita sit in rebus arduis, dicitur ab Apostolica Sede manare, secundum illud quod Beatus Gregorius ait, in Cap. Apostolicae Sedis 35. qu. 9. „Apostolicae Sedis Sententia tanta, semper Consilii moderatione concipitur, tanta patientiae maturitate decoquitur, tantaque deli-

betationis gravitate profertur, ut nec mutari, necessarium ducat: nisi forte sic prolata sit, ut retractari possit. Quibus omnibus consideratis, videlicet Infallibilitate divina promissionis, efficacia orationis Christi, influentia meritorum Beatissimi Apostoli Petri, ET MATURITATE CONSILII, quod in huiusmodi arduis materiis, qua fidem tangunt, CUM D. D. CARDINALIBUS ET ALIIS DOCTIS PATRIBUS, Romanus Pontifex semper habet, sine dubio tenendum hoc est, quod de Sedis Apostolica iudicio dictum est, videlicet quod in his qua fidei sunt desistere non possit. Hoc Cardinalis de Turrecremata, absolute, uniuerse, & indefinitae pronunciat, non restricte, ac prout etate dumtaxat sua facitari mos erat, uti nugacissime cavillatur Supplementi Sarcinator Lucinus. Nec enim disciplinam etate dumtaxat sua servari solitam narrat, tanquam historicus; sed dogma ponit atque definit, pro Theologi conditione & officio: illudque divi Gregorii & Alberti Magni auctoritate probat atque confirmat. Immo sententiam Pontificiam ratam ac decretoriam non fore probat, veterum Canonum auctoritate; si inconsulte per solum Pontificem, absque peritorum, maxime vero Cardinalium Consilio proferretur. Itudne est disciplinam aeo dumtaxat suo servari solitam narrare; ac non potius dogma Theologicum definire?

II. Ex hac porro Joannis de Turrecremata discretata explicatissimaque sententia, confectaria duo deduco. Primo, in arduis de fide quaestionibus iudicandis, usque adeo Pontificibus necessariam esse Sapientum ac maxime Cardinalium consultationem; ut nequidem a Romano Pontifice prolata sententia centeri debeat, & ab Apostolica Sede emanata, si ea neglecta & omisa fuerit consultatione, si omissum neglectumque consilium fuerit. Secundo, necessarium esse Cardinalium in Consultationem vocatorum assensum, ut iudicium Pontificium Infallibile sit. Cum Cardinalium dissentium ac repugnantium consilio, sententiam Pontificiam maturari (quod tamen Turrecremata ad iudicii Infallibilitatem postulat) impossibile sit. Quod idem declarat apertius lib. de Ecclesia Cap. 80. Summus Pontifex, inquit, Dominorum Cardinalium Consilio & assensu regit disponit atque gubernat universam Ecclesiam. Quod quidem regimen, in definiendis fidei controversiis maxime positum est; uti & in fratribus in fide catholica confirmandis, juxta Christi mandatum Petro datum.

§. II.

Quid Sylvester Prieras.

I. Succedit eo in ordine Sylvester Prieras, Sacri Palatii Apostolici Magister, cui parem eo in munere Romana curia diu expectabit: quique omnium primus contra Lutheri haereses scriptis, & quasi vocalis tuba alios omnes ad scribendum excitavit. Is enim lib. 1. de iudicia & irresolubili veritate Romanae Ecclesiae, Romanique Pontificis, Cap. 15. ubi probat ex instituto, Romanum Pontificem esse Hierarcham summum, iudicemque Infallibilis veritatis, (qua ipsissima quaestio nostra est) ita disputationem aggreditur, exponitque quid sit Papam agere ut Papa est, ut vel sic iudicium habeat infallibile, determinando de fide, & moribus. Esti opiniones, ait ille, videntur esse varia, horum tamen qui haecenus scripsere, mens una est.

Quidam enim dicunt: Papam agere ut est Papa, quando judicialiter procedit, sine sententia judicialiter profert, sive ex officio suo determinat; quod idem est. Et ista est communiter opinio Fratrum Ordinis Prædicatorum, que præcise dubio vera est. Quidam vero alii, ut refert & sequitur Archiepiscopus Florentinus Beatus Antoninus) forte, & usinam breviter Sanctorum Caribus adscribendus) dicunt Papam agere ut Papa est, quando procedit cum D.D. Cardinalium consilio: quod etiam præcise dubio verum est. Ista autem declaratio coincidit cum prioribus: quia Papa procedens cum Cardinalibus, procedit ex officio suo proprio: cum ei sint jure divino dati Coadjutores & Consultatores, ut supra probavimus. Quidam autem alii dicunt, Papam agere, & deponere ut est Papa, quando procedit non se solo, aut ipse cum quibusdam assistentibus malitiose vocatis, aliis non vocatis; sed cum procedit bona fide cum assistentibus, juxta Caput Apostolicæ 35. q. 9. Et ista declaratio coincidit cum secunda & prima. Quia isti assistentes, quos Papa bona fide accersit pro consilio, sunt pro tunc Cardinales, re & actu, etsi non nomine vel habitu. Nam quod Papa habet in arduis assistentes, est de jure divino: quod autem sint Petrus & Joannes, galatæ vel mitra, est ex Pontificis arbitrio, ut ex dictis patet. Omnes istæ declarationes vere sunt, & virtualiter una: & radice harum & norma est, quam alibi scripsimus: quod Papa agit ut Papa, quando agit UT CAPUT, SCILICET UTENS AUXILIO MEMBRORUM, & faciens quod potest ut veritatem intelligat.

Ita Sylvester Prioratus propositum sibi de Romani Pontificis infallibilitate questionem exponit, ut eam lingua mea sensuque meo diremisse videatur. Si enim, ut ait ille, Romani Pontificis iudicium infallibile non est, nisi dum iudicat uti Pontifex, rursusque non iudicat uti Pontifex, nisi dum iudicat cum assistentibus Cardinalibus; eorumque tamquam membrorum suorum auxilio utitur, ad veritatis intelligentiam; consequens plane est, huiusmodi consultationem esse illi simpliciter necessariam, ad obtinendam a Deo infallibilitatis gratiam; eamque gratiam absque ea consultatione nullatenus obtineri. Rursus, si iuris divini est, ut Sylvester ait, quod Pontifex in ferendo de fide moribusque iudicio, habeat assistentes & Consiliarios Cardinales, re & actu tales, etsi non forte tantum nomine & habitu; consequens est, non esse tantum huiusmodi consultationem Pontifici congruentem, ut iudicet prudenter; sed omnino necessariam ut definiat infallibiliter. Cum non possit Romanus Pontifex quod iuris divini est prætermittere, & ab eo eximere se se. Ex solo itaque Disputationis prologo, totus in ære meo esse Sylvester ostenditur, etsi nihil insuper addidisset.

Sed quis non rursus ista quærat, dum Lucinum Supplementi consarcinatorem observat, qui Sylvestrum Perieratem nobis ostendere nititur adversarium, & ex Theologorum, qui nobis hac in questione suffragati sint, catalogo expungendum? Hac nempe perbella ratione, quod Is Romani Pontificis arbitrio relictum dicat, ut assistentes sibi sumat Consultatores & Coadjutores, vel galatæ, vel mitratæ; ego vero Galatatos seu Cardinales necessario assumendos esse contenderim. Pape quam argute! At non advertit noster hic Cavillator, Prioratem hoc ipso in loco distinctis verbis asserere, quocumque assistentes, quos Papa bona fide accersit pro consilio, esse pro tunc Cardinales, re & actu, etsi forte non nomine vel habitu.

Multoque minus advertit, me nusquam scripsisse aut contendisse, solos Cardinales a Summo Pontifice in consilio assumi oportere; sed eos loco primo ac præ omnibus esse suscipiendos: quod Romana Ecclesiæ Clerum in presentia constituentem. Sed id obiter, ad propositi Cavillatoris diacritatem comprimendam: Redemus in viam.

II. Addit Sylvester Prioratus alia longe multa, toto disputationis decursu, quæ mentem ejus multo magis in aperto ponant, Consultationemque Cardinalium necessario præmittendam; eorumque assensum obtinendum ostendunt. Nonnullis enim interjectis, Judiciorum Pontificiorum Infallibilitatem variis momentis probat, quorum aliqua hoc idem evincunt luculentius. Probatur quinto, inquit; Quidquid Deus dicit directe, vel indirecte, in se, vel in simili, in quantum simile, est verum: Sed Deus iudicium Pape ut Papa est, id est cum assistentibus sibi Cardinalibus, dixit esse inviolabiliter observandum (& consequenter verum); quia hoc dixit de Summo Pontifice & assistentibus in antiqua Legge: ut patet Deuteronomii 17. ubi sub præca mortis mandavit dari Summi Pontificis in omni dubio; impiumque est hoc negare de Summo Pontifice & assistentibus in Legge nova, in qua plenior infusa est gratia Spiritus Sancti: & auctoritas Pontificis est major, cum habeat Claves. Quod etiam totum probatur per Caput, Per Venerabilem, qui filii sint legitimi: Igitur &c.

Idem habetur ex Capite ad abolendam, de hæreticis, præsertim in materia fidei: ubi Papa mandat Episcopis, ut decidendo de fide procedant cum Consilio Clericorum suorum: & consequenter ipse exemplo Christi, que mandat facit: Hoc est, cum Clero Romano iudicat.

Præterea idem probatur a minori ad maius. Nam in Canonizatione Sanctorum, minus est periculum si erretur, quam in decisione questionum fidei. Quia quod oritur ut Sanctum eum, quem testimonio Ecclesiæ credo Sanctum, nihil mihi obest; cum sciam orationes exaudiri principaliter a Deo: obest autem si falsum credam in fide, que est necessaria ad salutem. Et tamen ibi Papa procedit cum magnis Consiliis, & cum maturitate. Ergo a fortiori ubi agitur de fide vel moribus.

Præterea Papa non explicat ardua, SINE CONSSENSU NEDUM, SINE CONSILIO CARDINALIUM, Cap. per Venerabilem, qui filii sint legitimi. Vis aliquid clarior? Nam & hic non modo consilium, sed & consensum Cardinalium requirit Sylvester in arduis, ut infallibiliter definiatur a Papa.

III. Expeditus vero in solutione Argumentorum, quæ ab Indeficientiæ Pontificiæ oppugnantibus fieri solent. Cum enim objecisset sibi loco primo, Romanum Pontificem errare in fide posse, ut habetur dist. 4. Cap. Si Papa, & re ipsa Marcellinum errasse; Respondet: quod aliud est operari, aliud determinare quomodo sit operandum; aliud credere, aliud determinate quomodo sit credendum. In operando ergo, cum Pontifex operetur ut singularis persona, peccare potest, & errare ignorantia præter electionis. Et similiter in credendo; cum possit peccare peccato infidelitatis. Sed determinando procedit UT PAPA, DUM DETERMINAT CUM CONSILIO DEPUTATORUM. Et si malitiose, aliquibus non vocatis, sed suis complicibus determinaret hæresim, quam teneret, non esset illa determinatio Pape, ut Papa est, & Caput Ecclesiæ, id est, faciens bona fide quod in se est, ut intelligat veritatem: & propter assistentiam Dei alii reclamarent, ne deciperetur Ecclesiæ.

si. Quibus postremis verbis duo significat Sylvester Prioratus observatio dignissima, quæ causam meam adversus Aristarchos meos plene constituunt. Primo, numquam determinare Pontificem, uti Pontificem & Ecclesiæ Caput, atque ita infallibiliter, nisi dum determinat cum consilio sibi assistentium Cardinalium, facitque quod in ipso est, ad inquirendam veritatem: Secundo, ad divinam, quæ Pontifici a Christo in persona Petri promissa est, assistentiam pertinere, ut erroneæ definitioni, si quam ipse meditaretur, Consilii Legitimi repugnarent; ne fallaci Pontificis iudicio deciperetur Ecclesiæ.

Ac postea, cum sibi pariter objecisset Sylvester, Anastasium II. Romanum Pontificem errasse in determinando, dum eos rite fingi debere acceptis Beneficiis decrevit, quos Acacius Sacerdos vel Levitas ordinaverat; Responset: Anastasium ipsum communicasse Acacio hæretico, atque ita errasse, sine Consilio Episcoporum vel Presbyterorum & Clericorum cunctæ Ecclesiæ Catholicæ; Unde si ibi erravit, hoc non fecit in quantum Papa UTENDO AUXILIO MEMBRORUM SUORUM CONSULTANDO, sed sic egit capite suo; unde non divino percussus est.

Quo perinde responso significat Sylvester Prioratus, atque inculcat, non definire Romanos Pontifices uti Pontifices, atque ita ut infallibiles, dum non utuntur consilio membrorum suorum consultando; postquam illos in casibus errare determinando. Adeo scilicet Consultationem censuit necessariam, ut Infallibilitatis privilegio Pontifices perfruantur! Consultationem dico, non qualemcumque, sed quæ Cardinalium in consilium adhibitorum assensum obtineat: Cum eo solo assensu fieri possit, ut Pontifex membrorum suorum ac fratrum (quod Sylvester necessarium iudicat) utatur auxilio. Quomodo enim iudicanti Pontifici auxilium darent fratres ejus & membra, si iudicio repugnarent ac dissentirent?

Quid vero ad causam quam hic agimus inferendam refert, si ea Anastasii II. cum Acacio communicantis historia, iudicio Baronii, Alexandri, Pagii falsa sit, ut objicit Supplementi Sarcinator? Cum non de ipsomet facto historico disputemus; sed quid de eo Sylvester sentierit, inquiramus. Sensit autem Sylvester, ideo tunc Anastasium errasse, quia inconsultis membris suis, seu Ecclesiæ suæ Majoribus, causam illam iudicavit solus, egisse capite suo. Quod nobis abunde sufficit ad Lucini effugium præcludendum.

§. III.

Quid Joannes Driedo.

I. Sylvestro Priorati præfuit Joannes Driedo, Lovaniensis Academiae Professor Theologus, Pontificiæ Auctoritatis assertor ac vindex celeberrimus; quam toto passim libro I. de Christiana Libertate, supra etiam Concilia oecumenica extulit; & ad Supremos Principes & Solio deturbandos evexit. Is enim Libro subinde 2. Cap. 2. Romanorum Pontificum Infallibilitatem, in ferendo de fide iudicio, iidem ac ego terminis circumscriptis; si nempe consilii moderamen adhibeant, si prævium examen instituant, si gravem deliberationem & consultationem præmittant: quibus demum exactis, latam a Romanis Pontificibus de fide iudicium, uti rectum & indeficientem, a fidelibus excipi debeat. Sententia Pape circa fidem, ait ille, tanta

Sory Tom, V.

consilii moderatione concipi debet, tanta maturitate sapientie concoqui, & tanta deliberationis gravitate profertur, ut omnino recta credenda sit. Quia etiam, quod notatu dignum est, subiungit & vestigio. Verum quia Papa quatenus homo, talem modum deliberationis potest omittere; & inuiti proprio sensui propriæ prudentiæ; ita etiam plerumque licet examinare Litteras mandatorum Pape definitivas aliquid credendum, ac fide tenendum: Ut nempe earum Litterarum mandatorumque examine innotesceret, an eam consultationem, deliberationem, consilium, ex nimia sui fiducia prætermiserit Papa, proprioque sensui propriæque prudentiæ innixus sit; iudiciumque de fide non tulerit uti Pontifex, sed uti homo privatus, erroneque obnoxius. Papa itaque ex Driedonis sententia, non iudicat uti Pontifex, hoc est, indeficientiæ privilegio donatus a Deo, sed uti privatus homo, proprio sensui propriæque prudentiæ innixus, atque adeo errori obnoxius, quoties eum deliberationis modum omittit: hoc est, sine consultatione, sine deliberatione, sine consilio ad iudicandum accedit.

II. Lepidum autem est quod ad istud Driedonis suffragium eludendum Lucinus effudit in Supplemento: Nihil scilicet Driedonem de alieno consilio a Romanis Pontificibus adhibendo pronunciare; solamque examinis maturitatem & deliberationis gravitatem, necessariam dicere: quæ duo a Summis Pontificibus, a se solis, absque alterius cuiusque consilio præstari possunt. Lepidum sane! Et nonne Clarissimus Theologus conceptissimis verbis ait, non debere Pontificem inuiti proprio sensui propriæque prudentiæ, si certum & infallibile de fide iudicium ferre velit? Quod tamen facit, quoties se solo, absque alieno consilio, ad iudicandum accedit. Et nonne consilii moderationem adhibendam docet idem Theologus, ut recta Pontificis sententia concipiatur? Consilium autem illud quodnam est, nisi aliorum, qui in consultationem advocantur? Infeliciter igitur Driedonis Suffragium eludere nititur Cavillator.

§. IV.

Quid Rodolphus Cupers.

I. iidem Doctrinæ principii nixus est Rodolphus Cupers Jurisconsultus ac Theologus præstantissimus, idemque Infallibilitatis Pontificiæ vindex accerrimus, Libro de Sacrosancta Romana Ecclesiæ, ad Distinct. 79. ubi de S. R. E. Cardinalibus agit art. 2. Signanter enim exponit, quæ sint in Ecclesiæ Romana Cardinalium partes; variisque conceptis textibus probare aggreditur, JURIS ESSE DIVINI, quod Cardinales assistant Pape ope, & consilio: subiungitque, pro constanti esse sentiendum, oportere Papam CONSILIA Cardinalium requirere: stante maxime, quod claves Petro commisse duæ fuerint, una scilicet potestatis, alia discretionis. Ultimoque concludit, Ecclesiæ habere Senatam ad majores Causas iudicandas, EX DIVINA CONSTITUTIONE: eumque Senatam esse partem ipsius Ecclesiæ representatam in Cardinalibus. Quod etiam D. Bernardi auctoritate confirmat, Cardinales Orbis iudices appellantis, Romano Pontifici continuo assistentes; libro de Consideratione ad Eugenium III. Porro, inquit ego, si iuris divini est, divinaque constitutione firmatum, ut Ecclesiæ in Cardinalibus representata Senatam consulat Pontifex, ubi voluerit indeficientem de fide iudicium ferre; annon est illa consultatio sim-

V 2 (d)

pli-

pliciter necessaria, ad Indeficientiæ privilegium obtinendum a Deo; & si desit, errori obnoxius est Pontifex? Si divini juris est, quod Cardinales assintant Papæ consilio suo & ope, ubi voluerit infallibiliter judicare; annon quæso assensum præstare illos oportet? Cum dissentiendo repugnandoque nullam illi opem præsentent, immo potius incommodent.

II. Tam disertum, tam elegans *Alphonsi Eupersii* Suffragium arrodit multo ineptius Cavillator noster Lucinus in *Supplemento*: dum sollicite quarit a nobis, quomodo Romanus Pontifex clavem discretionis, non fecus ac potestatis accepit a Christo; si per se se, absque consilio verum a filio discernere nequeat, iudiciumque in materia Dogmatum ferre? Cui reponere satis est: eodem plane modo utramque Clavem accepisse, ut iis utatur prudenter, rite, Canonice, servatisque debitis juris formis: quarum præcipua in definiendis dogmatibus est, peritorum Consultatio; ne quid temere iudicet, suæque prudentiæ inaniatur. Quæsierim & ego vicissim ab importuno vitiligatore: An Petrus discretionis Clavem abiecerit, aut ea se destitutum significarit, dum ad iudicandam, quæ ad ipsum delata fuerat, Legalium Controverfiam, Fratrum qui erant Ierosolymis sententiam quæsit, magnanque cum illis, de proposita difficultate, *conquisitionem fecit?* ut in Actibus Apostolicis legimus Cap. 15. Non est itaque alienum ab habente discretionis Clavem, quod sententiam peritorum ac sapientum exquirat: immo hæc ipsa inquisitionis discretio pars magna est.

§. V.

Quid Cardinalis Stanislaus Hofius.

I. In eandem sententiam venit celeberrimus ille, æterna memoria dignus, Concilii Tridentini sub Pio IV. Legatus *Stanislaus Hofius S. R. E. Cardinalis*, in *Confessione Catholica Fidei Christianæ*, adversus Augustanam Confessionem Cap. 28. sub finem. Ubi postquam Romanæ Ecclesiæ in Catholica fide constantiam, eiusdemque in iudicandis fidei controversiis Infallibilitatem ostendit, ita demum colligit: *Beati Doctores, si non isdem verbis, isdem tamen sententiis, multis in locis concorditer adstruxerunt, hereticum esse omnem hominem, qui a Romana & universali Ecclesia, in fidei doctrina discordat.* Sic ante 400. & amplius annos, hereticum pronunciavit quicumque diversum ab Ecclesia Romana docuisset. In qua quidquid gravioribus de Causis, fidei præsertim decernitur, non est existimandum quod solus sit *Julius V. G. aut Pius*, qui decernat, ut errare tanquam homo possit. Habet ille, sicut *Cyprianus* loquitur, *florantissimum Clerum* secum una presidentem, singulari doctrina præstantem, *DE CUIUS CONSILIO*, si quid gravioribus de rebus, præsertim de fidei causis decernit, labi & errare non potest. Quæ quidem postrema verba candenti signanda lapillo, causam meam adversus oses meos, non orant modo perorantque, sed plane cumulateque conficiunt. Quorsum enim in Ecclesiæ Romanæ de Catholica fide iudiciis, non solus *E. G.* iudicat *Julius* aut forte *Pius*, qui errare homines possent; sed iudicat *Pius* aut *Julius*, consilium dante Clero florantissimo, ut vel sic *Julius* & *Pius* errare & labi non possint? Nisi quia, non est indeficiens Romanus Pontifex de fide moribusque iudicium, nisi cum de consilio Cleri Romani, in Cardinalibus constituti, pronuntietur? Pontifex igitur

cum Clero illo suo iudicare necesse est, si infallibiliter judicare voluerit. Cum itaque repugnet, Pontifex de Cleri consilio iudicare, Clerumque vicissim de ferendo iudicio consilium dare Pontifici, nisi Clerus ipse iudicanti Pontifici præstet assensum; Consequens plane est, Cardinalem *Hofium* Cleri Romani assensum, Pontificum iudicis necessarium agnovisse, ut infallibilitatis privilegio perfruatur.

II. Quare ridenda venit Cenforis nostri subtilitas, qui ut hoc nobis Cardinalis *Hofius* suffragium eripiat, fidenter reponit: eum non generatim & in commune de Romanis Pontificibus loqui, dum eos de consilio Cleri Romani definire atque decernere docet; sed de solis *Julii* & *Pii* locutum dicitur; ea perbella ratione, quia eos solos ex nomine *Hofius* appellat. Egregie scilicet & argute! *Equus quæso*, nisi forte meridiana in luce cæcutit, non videt, eos solos, ad exempli gratiam, fuisse ab *Hofio* nominatos, quod ea ætate Romanam Sedem occuparent; ut ex iis ceteros omnes Pontifices discernere; qui nonnisi de consilio Cleri Romani, soliti sunt definire atque decernere? De cetero enim generatim & universe *Hofium* loqui, ex tota Sermonis serie liquet apertissime. Itcirco enim probat Hæreticum illum esse, qui ab Ecclesiæ Romanæ fide discordat, quia quæ de fide definiunt Romani Pontifices, non soli & ex proprio tantum sensu definiunt, sed de florantissimi Cleri consilio. Quæ ratio aut nihil probat, aut omnes complectitur Romæ Pontifices quidquid in contrarium *Lucinus* affluat.

§. VI.

Quid Alphonsus de Castro.

I. Accedit alter Apostolicæ Sedis indeficientiæ defensor ac vindex *Alphonsus de Castro*; qui non modo in eandem mecum sententiam venit, sed & iustos limites prætergressus est; non aliter Romanum Pontifex in ferendo de fide iudicio infallibilem docens, nisi dum secum in ferendo iudicio, adiunctum habet totum Cardinalium Collegium. Qua parte a me probari non potest, nisi forte per Synodothen locutus intelligatur. Libro 1. adversus Hæreses Cap. 8. *Plurima sunt*, ait ille, etiam Sanctorum Patrum testimonia, asserentia Sedem Apostolicam nunquam a rella Fidei regula deviasse, quæ ponuntur in Volumine Decretorum, 24. quæst. 1. Verum hic animadvertendum est, nomen *Sedis Apostolicæ* non pro solo Summo Pontifice accipi, cum hic in fide errare possit; sed *Sedes Apostolica*, quæ nunquam erravit, comprehendit tam Collegium, cuius consilio iuratur Pontifex, quam ipsum Pontifex. De hac autem Sede non constat eam aliquando errasse. An autem totum Collegium Cardinalium errare possit, non dissero: Credo tamen quod Dominus nunquam permitteret totum Collegium hæresi maculari. Quapropter iustum est, ut in ve tanti momenti, qualis est fides Catholica, consulat fratrum suorum Collegium, antequam quidquam definiat; adjuvatis etiam, si possibile foret, viris aliis Sanctitate perinde ac doctrina eminentibus. Hæc *Alphonsus de Castro*. Quibus verbis aperte significat, necesse omnino esse, ad infallibilem definitionem eadem, ut Cardinalium Consilio Pontifex adjuvetur. Consilium porro quo Pontifex adjuvatur, illud certe est, quo Pontifici Cardinales assentiuntur. Quandoquidem ubi dissentiant, eum ad definiendum non adjuvant, sed potius ne definiat ob-

ni-

nuntur. Cardinalium itaque Consensum necessarium agnovit *Alphonsus de Castro*.

Quamquam autem Theologi hujus exorbitantiam atque excessum, de toto Cardinalium Collegio in consultationem a Summis Pontificibus necessario adhibendo, minime probent ceteri Pontificiæ Indeficientiæ defensores, quemadmodum improbamus & nos; consulendos tamen ad certum saltem numerum Cardinales, alioque præstantes viros agnoscunt; ut Pontificia definitio a Sede Apostolica prodiret censeatur, & Infallibilitatis privilegio perfruatur.

§. VII.

Quid Andreas Duvalius.

I. Adjungendus meliori titulo *Andreas Duvalius*, Theologus ad Romanæ Curie genium apprimè factus; pro cuius iuribus ac privilegiis vindicandis, prælia multa ad obitum usque sustinuit & cum *Edmundo Richerio* & *Simone Vigorio*, eorumdem Privilegiorum impugnatoribus, collato veluti pede certavit, initio sæculi superioris. Is quippe Tractatu de *Suprema Summi Pontificis potestate*, parte 2. quæ tota est de Infallibilitate illius, quæst. 3. in qua argumenta *Edmundi Richerii* in oppositum diluit: ad id quod opponerat illi, nempe uni alicui a Deo, aut a natura datum non esse, ut solus sapias, Respondet, Summum Pontifex non ita sapere, ut se solo, absque ulla perquisitione & Consultatione, aliquid possit definire: Atque adeo si ita definiisse constaret, (quod modo res iudicaretur admodum ardua, & de qua viri doctissimi utro citroque dubitarent) non conseretur hac in parte se gessisse ut Pontifex. Debet itaque in suis definitionibus, perquisitione & consultatione cum Viris peritis, semper uti. Non enim, ut eleganter docet *Vincentius Lirinensis* Libro contra Hæreses, nova fidei dogmata statuit Ecclesia, sed vetera eruit: Exerere autem est rem ex suis principiis indagare, & perquirere: quod maxime fit peritos adhibendo in consilio, qui rem definiendam mature considerent; idque regulis a Christo Ecclesiæ relinquit, Scripturæ, Traditione, Decretis prædecessorum suorum, unanimi Patrum consensu, & ceteris aliis, quæ brevitate ergo omittimus, utendo. NEQUE ALITER, UT IN CONFESSO EST APUD OMNES, EI AD-EST SPIRITUS SANCTUS. Ita *Duvalius* fervidus ille Infallibilitatis Pontificiæ defensor ac vindex. Jam inquit ego, si in arduis questionibus definiendis, non adest Summo Pontifici Spiritus Sanctus, dum peritos non adhibet in consilio; immo si nec tunc se gerit ut Pontifex, dum eam peritorum consultationem omittit; annon est consultatio illa non modo honesta, non modo congrua, sed & simpliciter necessaria, ut definiat Infallibiliter? Cum sine assistentia Spiritus Sancti, & nisi se gerat ut Pontifex, iudicii Infallibilitas esse non possit.

Pergit *Duvalius*, & eorum obiectuanculam occupat, qui Infallibilitatem Pontificiam, nequidem ab ea consultatione, tamquam conditione pendere volunt. Dicit forte aliquis, Infallibilitatem Pontifici esse a Deo, virtute Orationis Christi, & non a Consiliariis: Cui e vestigio respondet: *Esia*: sed tamen Deus eum nunquam Infallibiliter dirigit, si quæ in tali negotio sunt præstanda, non præstet. Ex quo videas, Romanum Pontifex de ea promissa Petro ejusque Successoribus assistentia, (ne desinat fides ejus) sibi blandiri non posse, si ea quæ

in ipso sunt non præstiterit, peritos in consilio advocando.

Paucioribus verbis rem istam totam expedierat *Andreas Duvalius* quæst. 1. ubi quærens cur Romanus Pontifex absque Concilio generali sit Infallibilis, modo se gerat ut Pontifex, hanc rationem assignat: quia *AGENDO UT PONTIFEX, EX CONSILIO CARDINALIUM SEMPER PRO-CEDIT*: Sic autem in eum error insolens, & crasus cadere non potest. Equo vero consilium illud est ex quo semper procedit Pontifex, quando procedit ut Pontifex, nisi consilium *consentientis* atque assensus? cum nihil ex alterius dissentiente & repugnante consilio dicatur fieri. Consensum itaque Cardinalium necessarium *Duvalius* agnovit, ut Pontifex definiat uti Pontifex, nullique porfuis errori obnoxius sit.

II. Quapropter *Supplementi* Auctorem malæ fidei postulo, qui ut *Duvalius* nobis eripiat, eumque ex Theologorum nobis suffragantium catalogo expungat, fidenter pronunciat, eum hoc ipso in loco a nobis supra citato dixisse, *Possit esse Pontifex ita doctus, ut se ipso tamquam ex cathedra possit definire*. Nec enim id absoluta & univèrsim *Duvalius* dixit, ut cavillator obtendit, sed restrictæ de levibus solutisque facillimis questionibus loquens; de gravibus vero non item: immo jactis jam doctrinæ suæ principiis firmis hæret: *Respondeo*, inquit, *rem definiendam possit esse ita levem & facilem, & ex alia parte Pontifex ita doctus, ut se ipso tamquam ex Cathedra eam possit definire*. Quando tamen gravis est, & nodosis difficultatibus implicata, proprio genio fideri non debet, sed peritos secum in consilio tenetur adhibere. Et hoc modo vi orationis Christi, Infallibiliter adest Spiritus Sanctus. Quo quid clarius, quid disertius, ad *Lucini* suffragium præcludendum?

§. VIII.

Quid Dominicus Gravina.

I. Dispensum operæ faciam, causamque quam defendo prodiderim, si *Dominicum Gravina* in infallitatum prætermiserim, Theologum Ordinis Prædicatorum præstantissimum, Romanæque Curie acceptissimum, pro qua tam assidue toto vitæ decursu laboravit, ut ab ipsius vitæ Scriptoriis, Auctoritatis Pontificiæ clypeus fortissimus nanceperit. Is ergo libro de *Supremo Judicio Controversiarum fidei*, quem Romanum Pontifex esse latissime probat, ita demum ad quartam argumentorum Caput respondet quæst. 1. *Difficultates Scholasticæ in Academiis facilius per sapientes, quam per Theologicæ facultatis inexpertes doctrinæ terminantur; judicialiter vero, & auctoritative melius, imo absolute, & absque ulla contradictione a Pontifice terminantur, ex directione Spiritus Sancti moventis Pontifex CUM SAPIENTIBUS CONSULENTIEM*, ad Infallibiliter controversias decidendas. Et hic quoque Pontifex legis ex directione Spiritus Sancti a Deo motum, ut Infallibiliter judicet. Sed qualem illum? Nempè eum Sapientibus consulentem.

Sed & apertius quæst. 2. & ad rem nostram accommodatus, ubi argumento octavo respondet, ex duplici absurdo petito: Primo, quod si Summo Pontifici a Deo concessa esset Infallibilitas, humanis ille mediis non egeret, ad Infallibilem definitionem, etendam: Secundo, quod homo illiteratus, Sacram Scripturarum plane nescius, ex quo in Summum Pontifex effect-

ele-

electus, non minus verum dignosceret, quam qui doctissimus erat: ita utrique difficultati satisfacit: Ad octavum Respondeo, quod media sunt Pontifici necessaria: quia SPIRITUS SANCTUS HAC LEGE EI ASSISTIT, SI CONSULTATIONES PRÆMITTANTUR, ut patet ex forma Definitionum Apostolicæ Sedis: & non est inconueniens, hominem diuinitus illustratum apponere media humana, UT ADHIBITIS DILIGENTIS ELEVETUR MENS PONTIFICIS AD IUDICIALEM DEFINITIONEM SINE ERRORE FACIENDAM. Nam in Sacramentis datur diuinitus gratia, & tamen voluit Deus præfigere Ministri intentionem, faciendi quod facit Ecclesia, tamquam medium ad gratiam conferendam necessarium. Et ideo si Papa definiens non sit professione Theologus, seu Iurista, Jurista & Theologus definiendo sibi subiecti: ELEVATUR ENIM PRÆMISSA DILIGENTIA ET CONSULTATIONE, UT DOGMATA DEFINIAT A SPIRITU SANCTO DIRECTUS: & si unum Pontificis, & non scientia, capiat omnem intellectum in obsequium Christi. Et nonnullis interiectis, Numquam a Romano Pontifice sine Consultatione florentissimi Cleri sui, vel Congregationum Sancti Officii, vel Theologorum, hereses damnatae sunt: Nec hi Censuras omisi sunt pro consultatione a Pontifice; CUI SIC CONSULENTI INFALLIBILITER DIVINA ASSISTENTIA PROMISSA EST. Quæ sane verba nullo glossæ indigent, ut intelligamus, Consultationem peritorum, maxime vero Cardinalium, medium esse simpliciter necessarium, ad promissæ Infallibilitatis gratiam obtinendam, quæ scilicet erendum est de fide moribusque iudicium: Consultationem inquam, non qualemcumque, sed quæ consensio sit atque assensus: cum hæc sola possit Romani Pontificis mentem, quod Gravina postulabat, elevare. Si enim consulenti Pontifici dissentirent Cardinales, mentem eius ad ferendum iudicium non erigerent, sed dehortarentur, ac prorsus averterent.

II. Mirari autem subit Aristarchum nostrum, ut Gravina nobis eripiat, perfracte reponere, Eum numquam dixisse, peritorum Consultationem necessariam esse simpliciter, ad Infallibile iudicium Pape præformandum. Numquid enim, sine minus istidem syllabam verbis id dixit, ac certe aliis idem omnino significantibus? Dum scilicet ait, Spiritum Sanctum hac lege Pontifici assistere, si Consultationes præmittantur. Sunt itaque consultatio præmittenda: alioquin non assistit Spiritus Sanctus.

ARTICULUS V.

Novo momento intentata in me querela refutatur: Quod iudicium Pontificum ex Cathedra ferri debeat, ut infallibile constetur.

EX prolatis hæcenus celebriorum Infallibilitatis Pontificis Defensorum testimoniis liquet aperte, peritorum atque sapientum, ac maxime Cardinalium Consultationem, necessariam esse a Pontificibus præmittendam, ut indeficienti privilegio perfruantur: eamque præviam consultationem, non qualemcumque esse debere, sed & consensio, adhesionis, approbationis, datique consensus. Nunc momentum probationis alterum urgeo, nil minus superioribus decretorum, ac prorsus invictum.

Consentient enimvero omnes ad unum Infallibilitatis Pontificis defensores, necesse omnino esse, Pontificem EX CATHEDRA pronunciate, statueret, definire, ut Infallibilitatis privilegio perfruat: si minus, errori fore obnoxium. Hinc familiares illæ loquendi formulæ, in omnium Pontificis indeficientia defensorum libris, scriptis, quætionibus, thesibusque publicis præstant: Pontifex ex Cathedra pronuncians, est infallibilis. Si Pontifex non pronunciat ex Cathedra, errare salique potest. Quid ergo sit ex Cathedra pronunciare ac definire Pontificem; quandonam sic pronunciet, inquirendum; ex mente quidem Theologorum ipsorum, qui Curie Romanæ præ cæteris famulantur: ut vel hinc colligamus, quandonam Infallibilis sit.

§. I.

Quid Christianus Lupus.

I. Primatum eo in ordine tenet sine controversia Christianus Lupus, Lovaniensis Academiæ Professor, qui & magnam vitæ suæ partem exegit Romæ, muneribus ac titulis auctus, & Sacrarum Congregationum consultationibus admixtus, sub Innocentio X. & Alexandro VII. Is ipse Tractatu de Gregorio VII. Dictatu, Can. 22. ubi hoc ipsum ex instituto pertractat argumentum, ita pronunciat: Cathedra nomen, dicitur de Romano Pontifice, vel Patriarcha, vel Episcopo, ex Cathedra iudicantis sermo est, non cum significat solum, qui in ea sedet, sed & illos qui in publico Ecclesiæ conventu illi assident, & in ea administranda ei cooperantur. Quare dum Papa, Episcopus, Patriarcha EX EORUM COMMUNI IUDICIO ET SUFFRAGIO AGUNT, STATUUNT, DECIDUNT, LOQUUNTUR, TUNC EX CATHEDRA AGERE, DECIDERE, STATUERE, LOQUI INTELLIGUNTUR. Jam dicant Ofores nostri atque censores, quinam illi sunt, qui Romano Pontifici, in publico Ecclesiæ conventu assident, quique illi in Ecclesiæ administranda, consilio, iudicio, suffragio cooperantur, nisi Cardinales Eminentissimi? Tunc ergo, iudice Christiano Lupo, Infallibilitatis privilegio potiuntur Romani Pontifices, dum Cardinalium communi iudicio atque suffragio, in materia morum & fidei, sententiam proferunt, statuant, atque definiunt; si secus definiunt, errori obnoxii sunt.

II. Mirum quor hic anfractus querat Editor Supplementi, ut tam disertum, tam locuplet Christiani Lupi testimonium elidat; quam inapplicabilibus verborum ambagibus præstantissimi Theologi sensum involvat. Reponit scilicet: Nihil aliud citato loco Christianum Lupum querere, nisi quid intellexerit Gregorius VII. in Dictatu suo loquens de Ecclesiæ & Apostolicæ Sede. Ibique ostendere, quæ majori vel minori amplitudine accipi possit Ecclesiæ, vel Sedes Romana; nempè vel pro Universalis, aut Patriarchalis, aut Metropolitana, aut Episcopalis, in jurisdictione. Et ideo ait, ubi intelligi locutum Gregorium pro fide habente suam Synodum; quarum ipse est præses, os, & lingua, dum ex assidentium iudicio ac suffragio, aliqua profertur decisio. Fiat licet Censor eximie. Ut quid tot circuitus, tot anfractus, tot renebræ responsis tuis offusæ? Ad rem ipsam de qua hic agimus, veniamus. Annon summam ait hoc loco Christianus Lupus, Nominè Cathedra, dum de Romano Pontifice sermo est, non solum intelli-

gi Pontificem, qui in ea sedet, verum etiam Cardinales, qui ei assident? Numquid ait, tunc tantum Papam censi ex Cathedra loqui, dum ex communi assidentium sibi iudicio & suffragio statuit atque decidit? Numquid id est quod probandum assumptum? Ad id ergo expedite distinquere respondet, aut longa Censuram tuam deletura.

§. II.

Quid Cellotius, quid Bagoius, quid Combessius, quid Cherubinus &c.

I. Eodem prorsus modo, Sententiam a Romano Pontifice ex Cathedra ferendam esse, docet Ludovicus Cellotius, e Societate Theologus non ignobilis, lib. 4. de Hierarchia Ecclesiastica Cap. 10. quod nil fecerit, Infallibilitatis privilegio devolutum illum ostendit. Romanus Pontifex, ait ille, loquitur ex Cathedra, cum tres adhibet conditiones, quarum una si desuerit, ad private persone conditionem devolvitur. Primam ex parte materie desumo, quam volo esse propositionem veram, vere revelatam, & quidem Prophecia, Apostolica, & canonicorum librorum Scripturis. Secundam in inquisitione requiro; UT NEQUE SOLUS JUDICET, NEQUE TEMERE PRONUNCIET, MEMOR QUANTA ANNUM FUGIANT, QUAM FACILE UNUM ERROR OCCUPET. ADHIBERE IGIUR PERITOS OPORTET, MATURAM DILIGENTIAM, DISQUISITIONEM, SINE QUÆ CHRISTUS EX LEGE ORDINARIA, NEQUE PONTIFICI, NEQUE CONCILIO INFALLIBILITATEM PROMISIT. Tertia in ipsa propositione versatur, ut toti Ecclesiæ absolute & præcise proponat; cum pronuncians hereticum, aut ei anathema imprecando, qui aliter sentit; aut affirmando, statuere se & definire de consilio fratrum suorum. Viden secundam conditionem a Cellotio positam, ut Pontifex ex Cathedra, atque ita infallibiliter pronunciasse ac iudicasse censetur?

II. Suffragatur perinde Joannes Bagoius, alter e Societate Theologus, qui pro tuenda Pontificis Infallibilitate, multa in Galliis bella sustulit, lib. 4. Institutionum, disp. 3. Cap. 1. Sect. 1. Deus agens de potentia ordinaria, & concursum suum ordinarium præstans, requirit Causarum secundarum cooperationem; & in tantum dat Infallibilitatem Pontifici, in quantum hunc non nihil agentem aut dormientem illuminat; sed humano etiam modo, & secundum naturalem rationem agentem ipse dirigit. Pontifex igitur debet agere prudenter & omnem diligentiam pro veritate fidei indaganda, inveniendaque, adhibere. Et cum Deus non faciat jam pro fidei doctrina novas revelationes, nec novos Prophetas aut Evangelistas suscitet; in tantum dat scientiam veritatis Ecclesiæ, in quantum Pontifex adiuvatur, ut ex fidei Articulis jam traditis & notis, conclusiones inferat per rationem. Debet ergo Pontifex ratiocinari, & prudenter agere. Quod ut faciat, DEBET DOCTOS ET PERITOS CONSULERE; & ita auditis cum suo Consilio iudicare & definire, quid sentendum sit.

Et infra Sect. 3. Ex quibus omnibus Concludo, summum Pontificem, ut desinat Infallibiliter, CONSILIO ALIQUOD SEU SYNODUM AUDIRE OPORTERE. Nec male dici tunc EX S. PETRI CATHEDRA EUM LOQUI SEU PRONUN-

CIARE SENTENTIAM, CUM AUDITO CONSILIO PRONUNCIAT.

III. Subscribit perinde Franciscus Combessius ex Prædicatorum Ordine indeficientia Pontificis vindex, Antiquitatis Investigator diligentissimus; & quid sit Pontificem ex Cathedra loqui, paucioribus quidem verbis exponit, eundem tamen sensum habentibus: Tractatu pro Actis Sextæ Synodi Cap. 2. §. 3. Pontificem, inquit ille, loqui ex Cathedra, est loqui cum Fratrum Consilio, & communi Ecclesiæ sensu. Quandonam autem cum fratrum suorum, hoc est, Cardinalium aut Episcoporum consilio loquitur Pontifex, nisi dum illos habet sibi consentientes? alioquin cum illis loqui non censetur, sed sine illis, ac etiam contra illos.

IV. Is omnibus præstantissimorum Theologorum dictis, sigillum apponit Cherubinus Romanus, Jurisconsultus & Theologus, novissimus Infallibilitatis Pontificis vindex, ac titulos de Consultationibus, & de maiestate & obedientia propos. 2. §. 2. TUNC SOLUM INTELLIGITUR ROMANUS PONTIFEX PRONUNCIARE EX CATHEDRA, HABETURQUE DECRETUM SEDIS APOSTOLICÆ, CUM HUIC PRÆCESSERIT CONSENSIO, SIVE CONSULTATIO ROMANÆ ECCLESIE; VIDELICET CARDINALIUM, THEOLOGORUM, CONSULTORUMQUE, UNO VERBO MAJORUM NATU EJUSDEM ECCLESIE ET URBIS. . . HAUD ALITER INTELLIGI POTEST DECRETUM EX APOSTOLICA SEDE MANARE, SEU PAPAM LOQUI DOGMATICÆ ET EX CATHEDRA, NISI PRIUS FRATRUM SUORUM, MAJORUMQUE NATU ECCLESIE ROMANÆ COMMUNICATO CONSILIO. Secus enim non ex cathedra, neque ut caput (utpote quia sic est se junctus a membris, posthabitisque tum Romane tum universæ Ecclesiæ, natu majoribus) sed ut homo privatus, adeoque errori etiam in fide obnoxius pronunciare intelligitur. Quid aliud per fidem numinum! Dixi ego? Quid aliud in mea de Romano Pontifice falli & fallere nescio Dissertatione arrodunt Ofores mei & Aristarchi?

V. In Cellotium, Bagoium, & Combessium nihil multat Lucinus in Supplemento, quod eorum suffragia in priori Opusculo nostro necdum protulissimus, Cherubinum tamen Romanum non relinquit inultum: utque suffragium eius tanquam ineptum exfufflet, deridet atque subsannat, quod ille ait, haud aliter intelligi posse decretum ex Apostolica Sede manare, seu Papam loqui dogmaticæ, & ex Cathedra, nisi prius fratrum suorum, majorumque natu Ecclesiæ Romanæ communicato consilio. Deridet inquam atque subsannat, quasi Majorum natu Ecclesiæ Romanæ nomine, Cherubinus intellexisset quoscumque ætate præcediores, sive sint docti sive indocti, sive sint laici sive Ecclesiastici; quos a Pontifice in consilium advocari debere contenderit.

At quidni potius ridendum se præbet hic censor noster, qui nesciat, ex familiari Scripturarum loquendi formula, Majores natu Ecclesiæ dici, Ecclesiasticos tantum, non itidem laicos; Præbiteros inquam, nobilissimam Cleri partem, non extra Clerum constitutos. Quare nihil est, quod in eo Cherubini Romani testimonio seu suffragio cavillari potuerit Aristarchus pag. 8. Supplementi.

ARTICULUS VI.

*Dilecti additur Corollarium: falsique sententia no-
stra, de Pontificia Infallibilitate iustis terminis
circumscribenda, interpretes castigantur ac resel-
luntur.*

I. **A**ccedit ad latarum haecenus Sententia no-
stra probationum cumulum, quod pleri-
que Romani Pontifices, Ecclesiae Patres, Scripto-
resque Ecclesiastici, qui Romani Pontificis in ju-
dicandis fidei questionibus indeficientiam docue-
re, hanc ipsam ex Ecclesiae Romanae indeficien-
tia, tamquam invicto momento demonstrarint.
Pontificemque in ferendo de fide iudicio, errare
non posse probaverint, quia Ecclesia Romana in
hujusmodi iudiciis errare non potest. Haec porro
probatio inutilis est, nisi pro certo ponatur, Pon-
tificem Infallibiliter iudicantem, iudicare una cum
ipso Romanam Ecclesiam. Iudicante autem Pon-
tificem summo, iudicare cum illo Ecclesia Romana
nequit, nisi saltem consilio suo atque assensu,
iudicio Pontificio suffragetur: Infallibiliter itaque
iudicasse dici non potest Romanus Pontifex, nisi
praemissa Ecclesiae suae Romanae Consultatione,
habitoque consilio atque assensu, sententiam pron-
unciaverit.

Quod tamen non ita accipi velim, quasi Car-
dinalium omnium, peritorumque consultationem,
consilium, atque consensum, Romano Pontifici
ut Infallibiliter iudicet, necessaria purem, atque
contendam: Abit: Sed ad certum numerum, in
consilium adhiberi eos volo, illorumque assensum
explorari ac perferri debere contendo; ut latum
a Pontifice iudicium consiliariter, Canonice, rite
atque ex formula pronuntiatur censetur; utque
ipse tanquam Pontifex caputque Ecclesiae
agnoscat; atque ita adpromissa a Christo Do-
mino Infallibilitatis gratiam accepisse, certissime
constet. Cum nonnulli iis subintellectis conditio-
nibus adpromissa sit illa gratia Successoribus D.
Petri.

Quid ergo, ut omnia tandem colligam, suas
in me unum vertunt iras morosi Censores, ac
non in eos potius, quos ea in parte secutus sum
Doctrinae Magistros? Cur non in Cardinales Emi-
nentissimos, Joannem de Turrecremata & Stanis-
laum Hosium, in Cherubinum Romanum, Christia-
num Lupam, Alphonsum de Castro, Joannem Vi-
gnerium, Dominicum Gravinum, Andream Duval-
lium, Dominicum a S. Thoma, Alphonsum Cuper-
simum, Sylvestrum Prietatem, Joannem Drieionem,
Ludovicum Cellarium, Joannem Bagotium, Franci-
scum Cambesium, aliosque ante laudatos Theolo-
gos; qui Pontificiam indeficientiam, ejus de-
fensores ac vindices extiterunt, iisdem ac ego
terminis circumscripserunt? Cur in me furit *Sup-
plementi* Confractor, quod tot illustrium Viro-
rum dicta pronuntiata, ad mei defensionem lau-
darim, extirperim, adoptarim, meaque fecerim,
exprobat, increpat, criminatur: in hanc vocem,
nescio quo spiritu actus & obstupefactus erumpens
pag. 8. *Et haec probat vir doctus, tanquam per ipsum
vigila & propugnata, in sua ipsissima de Romano
Pontifice falli & fallere nescio, Dissertatione! Haec
propinat vir Sapiens, in perniciem Pontificia Infal-
libilitatis, ut Dissonantia & discrepantia obscuran-
tur? Malum! Tantane animis Caestibus ira?*
Huic ego virulentae declamationi ne quid repom-
nam, D. Hieronymi sententia facit Epistola 65.
Nihil causa prodest, maledicentibus remaledicere,

*& adversarios talione mordere; cui praecipitur ma-
lum pro malo non reddere, sed vincere in bono ma-
lum, saturari opprobriis, & alteram verberanti pre-
bere maxillam.*

Hoc dico tantum, tot illa recitata superiori
articulo illustrium Theologorum, de Romani Pon-
tificis Infallibilitate iustis terminis circumscriben-
da, Testimonia, quae delicatulo Lucini palato
non sapient, crudioraque illi videntur, quam ut
a viro docto atque Sapiente deglutiri & concoqui
possint, non ita Romanis sapientissimis doctissi-
misque stomachum movisse, tadiumque creasse,
quin ab iis libenter avidaque absumerentur, dum
illis superiori anno sunt propinata. Haec per illos
libenti animo sunt digesta, haec vorata; non in
perniciem, sed in defensionem Legitimae Infal-
libilitatis Pontificiae. Nihil in oppositum amulo-
rum quorundam querela, strepitus, crepitus, so-
nitus, tonitrus, ut cum Plauto loquar, valuerunt;
sed adstante tutelari Angelo, cesserunt in irritum
univerfa.

II. Non possum interim quin, & ego vicissi-
ma conquare, tum de eo *Supplementi* farciato-
re, tum de aliis Censoribus & osibus meis,
quod quid ego, tot illis praevius doctrinae Magi-
stris, de ea Romana Ecclesiae, seu Cardinalium
necessaria Consultatione, obtinendoque consensu
scripserim, quid docuerim, nequidem intellexe-
rint; aut certe se non intelligere simularint; ut
suam in me fidenciam virgam censoriam exerce-
rent. Quod exponere modo opera pretium est,
ut omnem illis temerarij iudicii excusationem
abscindam. Sic itaque se res habet.

Quamquam eam peritorum, sapientum, Car-
dinalium Clerum nunc Romanum continentium
Consultationem praemittendam, eorumque Con-
sensum necessario quaerendum dixerim, ut Pon-
tificis de fide iudicium Infallibile sit: immo
quamquam de fide iudicium fallibile fore dixe-
rim, si & Consultatio & Consensus non praemi-
terentur: Pontifices tamen de fide solenniter ju-
dicantes, Consultationem aliquando neglexisse,
consensumque non quassisse, suisque iccirco par-
tibus defuisse, nec asserui, ut fingunt Aristarchi
illi mei, nec asserere potui. Cum enim Roma-
nos Pontifices, in ferendo de fide iudicio, In-
fallibiles tota dissertatione docuerim; Pontifices
quoque eas conditiones posuisse docui, a quibus
iudicii indeficientia penderet, suasque iccirco par-
tes, ubi de sancienda fide actum est, semper im-
plese, pro certo posui: etsi non ita forte, ubi
non de fide dogmate, sed de facto, aut de quaes-
tionibus praeter fidem agebatur. Uno verbo,
quid iis positis conditionibus consequatur, quid
iis non positis securum esset, unice dixi: il-
las tamen non fuisse aliquando poritas conditio-
nes, contrariumque effectum fuisse aliquando con-
secutum, (errorem scilicet Pontificis solenniter
iudicantis admissum) nequaquam asserui, ut mei
dichant Aristarchi, ut aliqua veritatis & aequi-
tatis specie me carperent, & tanquam Infallibi-
litas Pontificiae, quam tueri atque defendere
aggressus sum, impugnatorem traducerent. Immo
in eadem cum Melchioro Cano sententia sui
semper lib. 5. de Locis inscripta Cap. 5. *Prae-
stat semper Romanus Pontifex quod in se est, dum
de fide pronunciat. Quemadmodum enim si Chri-
stus Petro dixisset, ego rogavi pro te ne deficiat
Charitas tua, certo certius intelligeretur, diligen-
tiam, curas, vigilas, preces ceteraque auxilia op-
portuna illi imperasse, quae sunt ad Charitatis
conservationem necessaria: ita cum dixit Christus,*
160

*ego rogavi pro te ne deficiat fides tua, procul du-
bio intelligimus, id a patre suo consecutum esse,
ut quae ad rectum de fidei questione iudicium ne-
cessaria essent, ea adesse Petro omnia, sive a Deo,
sive ab homine expectentur.*

III. Neque vero dum ita statuo, dum ita
sentio, necum ipse propterea pugno, & a pro-
pugnata sententia desilio, ut mihi modo *Supple-
menti* Sarcinator exprobat. Coharent enim ita
duo vel maxime: Primum, Pontificem in ferendo
de fide iudicio Infallibilem esse, si Consultatio-
nem Cardinalium peritorumque praemittat, suasque
partes adimpleat: Alterum, Pontificem Consulta-
tionem illam semper praemittere, suasque iccirco
partes semper implere. Uti plane coherent ista
duo: Primum, Praedictatum Infallibiliter sal-
vari, suppositis meritis, seu si merita habuerit,
quae sunt ad salutem media simpliciter necessa-
ria: Alterum, Praedictatum hujusmodi merita
Infallibiliter habere, quibus Infallibiliter salvan-
dus est. Ecor quae pugnarent illa secum?
Quasi vero conditiones illae, ad effectum ali-
quem obtinendum necessariae dici non possent,
quae semper ab agentibus apponuntur? Cum po-
tius multo certius necessariae sint dicende, si
semper ad effectum obtinendum, ab agentibus
apponantur.

Quae cum ita sint, tam inique me carpunt,
ac veluti promissa Divo Petro Infallibilitatis
otiosem ac depressorem traducunt; quod eam iis
Conditionibus illigant, & ab illis pendere di-
xerim; quam inique me carperent, & veluti da-
tae Divo Petro, caeterisque Apostolis potestatis
clavium osor atque depressor traduceret; quod
eam solvendi dimittendique peccata potestatem,
certis in Episcopis & Sacerdotibus Conditionibus
illigant, & ab iis pendere dixerim, ut rata
validaque peccatorum absolutio conferatur. E.
G. si in solvendi dimittendisque peccatis Sacros
Ecclesiae Canones servent & penitentium dispo-
sitiones explorent, quibus venia obtinenda capa-
ces agnoscantur. Has enim conditiones nemo
non iudicat necessarias omnino, ac iure sum-
mo.

ARTICULUS VII.

*Diluantur objecta novissimi Privilegiorum Pon-
tificiorum, Vindictis.*

I. **A**udiamus nunc tandem quid contra repom-
nant oses nostri; maxime vero quid
tanto ferat magnus ille Disputator hiatu, qui
Pontificiam Infallibilitatem a nobis praefocatam
atque extinctam exprobat, ob id unum, quod
Ecclesiae Romanae consensum dixerimus necessa-
rium, ut indeficientia privilegio fruatur Roma-
e Pontifex.

§. I.

Objectis prima diluitur.

I. Quilibet privatus Episcopus, (obicit ille
pagina statim 3.) immo quilibet inferioris Or-
dinis Ecclesiasticus Iudex, Synodus quilibet Pro-
vincialis, ac etiam dioecetana, si sententiam in
causa morum & fidei dicant, accedente Ecclesiae
Romanae consensu, perinde Infallibiles sunt: nul-
lum igitur erit Romani Pontificis, supra priva-
tos Episcopos, Synodosque quantumvis exiguas
privilegium; si tum tantum Infallibilis dicitur,
Serr. Tom. V.

dum accedente Ecclesiae Romanae consensu, iudi-
cium profert.

Immo inquit ego, vel hoc ipso Romani Pon-
tificis privilegium caeteris omnibus eminet, seu
privatis Episcopis seu Synodis Provincialibus ac
Dioecesanis. Quocirca scire jurat, Romani Pon-
tificis privilegium in eo esse positum, quod ubi
iudicium rite, canonice, sollemniter, servatisque
juris formulis tulerit, & tanquam Romanae Ec-
clesiae Pontifex sententiam dixerit, Infallibilitatis
gratia perfruatur, errareque omnino non possit;
quod certe habet ille, ex quo praeconsulta &
consentiente sua ipsius Ecclesiae Romanae iudicium
profert. At vero Episcopi quique privati, tam-
etsi praeconsultis & consentientibus Ecclesiae suis,
servatisque aliis juris Ecclesiastici formulis, so-
lemniter riteque iudicium aliquod ferant, non
propterea Infallibiles sunt: sed haec ipsi ex ac-
cidenti dumtaxat Infallibilitas obvenit, si illorum
iudicium Ecclesiae Romanae Consensus accedat.
Quare magnum semper est Romani Pontificis
supra privatos Episcopos privilegium, quod ille
cum sua ipsius Ecclesia semper sit Infallibilis:
alii non item cum suis privatis Ecclesiis Infalli-
biles sint, sed casu dumtaxat, si illis Ecclesiae
Romanae consensus accedat. Ille sua in Cathedra,
proprioque tribunali, assidente illi Clero
suo, Infallibilitatis privilegio fruatur: Isti non
ita, sed aliud ipsis tribunal adjungi necesse est,
ex cujus assensu concordique iudicio indeficien-
tiam fortiantur. Uno verbo habet Romanus
Pontifex velut ex propriis, quod habet ex assen-
su Cleri Romani; cum sit ille ipse Clerus, mys-
tici Corporis cuius ille Caput est, nobilissima
pars; siatque Clerici illi membra ejus; habent
vero privati Episcopi ex alieno dumtaxat, dum
assentiente illorum iudicium Romano Clero, In-
fallibilitatem fortiantur. Sicque propria Ponti-
fici Infallibilitas est, privatis Episcopis adventi-
tia.

Addiderim ad uberiorem clarioremque futilis
argutiae solutionem: Eum Infallibilem non esse,
qui nec errat nec fallitur in iudicio; sed eum
qui felicem habet errandi fallendique impoten-
tiam. Id enim *Infallibilitas* sonat. Porro dum
Ecclesiae Romanae consensus iudicium privatorum
Episcoporum accedit, non errant illi tunc qui-
dem, non falluntur; (cum falso iudicio assenti-
ri Ecclesia Romana non possit) non habent ta-
men felicem illam non fallendi, non errandi im-
potentiam; quare nec tunc quidem *Infallibilis*
dici possunt; etsi non falli dicantur.

§. II.

Secunda Objectio diluitur.

I. Si Peritorum, Sapientum, ac maxime Car-
dinalium Consultatio, consilium, assensus, Ro-
mano Pontifici absolute sunt necessaria, ut In-
fallibile de fide moribusque iudicium ferat, Con-
sequens est, Romanum Pontificem, suam a Con-
siliariis illis suis, & Cardinalibus Infallibilitatem
habiturum, istoque illo Infallibilitatem futuros. Sic
ille, ad ravim usque ubique passim occulat.

Consecutionem nego ego, ac pernego: Illudque
ut summe sequi contendo, Iudicium Summi
Pontificis ab illa Peritorum, Sapientum, ac multo
magis Cardinalium facta consultatione, quaesitoque
consilio, habitoque assensu pendere, tamquam a
mediis, ad obtinendam a Deo Infallibilitatis gra-
tiam necessariis: quae ut sapienter observat Mel-
chior